



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

Liber Secundus. Admonitiones ad interna trahentes:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)



DE

IMITATIONE CHRISTI

LIBER SECUNDUS.

Admonitiones ad interna trahentes?

CAPUT I.

De interna conversatione.

I. **R**EGNUM DEI intra vos est, dicit Dominus. Converte te ex toto corde ad Dominum: & relinque hunc miserum mundum, & inveniet anima tua requiem.

Disce exteriora contemnere, & ad interiora te dare, & videbis regnum Dei in te venire.

Est enim regnum Dei, pax & gaudium in Spiritu Sancto, quod non datur impiis.

E 4

Ve-

Veniet ad te Christus, ostendens tibi consolationem suam: si dignam illi ab intus paraveris mansionem.

Omnis gloria ejus, & decor, ab intra est, & ibi complacet tibi.

Frequens illi visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda nimis.

2. Eja anima fidelis, præpara huic sponso cor tuum: quatenus ad te venire, & in te habitare dignetur.

Sic enim dicit: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & mansionem apud eum faciemus.

Da ergo Christo locum, & cæteris omnibus nega introitum.

Cum Christum habueris, dives es, & sufficit tibi. Ipse erit provisor tuus, & fidelis procurator in omnibus, ut non sit opus in hominibus sperare.

Homines enim citò mutantur, & deficiunt velociter; Christus autem manet in æternum, & astat usque in finem firmiter.

3. Non

3. Non est magna fiducia ponenda in homine fragili & mortali, etiam si utilis sit & dilectus: neque tristitia multa ex hoc capienda, si interdum advesetur & contradicat.

Qui hodie tecum sunt, cras contrariari possunt; & è converso, sæpe ut aura vertuntur.

Pone totam fiduciam tuam in Deo, & sit ipse timor tuus, & amor tuus. Ipse pro te respondebit, & faciet bene, sicut melius fuerit.

Non habes hinc manentem civitatem; & ubicunque fueris, extraneus es & peregrinus: nec requiem aliquando habebis, nisi Christo intimè fueris unitus.

4. Quid hinc circumspicis, cum iste non sit locus tuæ requietionis?

In cælestibus debet esse habitatio tua; & sicut in transitu, cuncta terrena sunt aspicienda.

Transeunt omnia, & tu cum eis pariter.

Vide, ut non inhæreas; ne capiaris, & pereas.

Apud Altissimum sit cogitatio tua , & deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur.

Si nescis speculari alta & cælestia, requiesce in passione Christi : & in sacris vulneribus ejus libenter habita.

Si enim ad vulnera , & pretiosa stigmata Jesu devotè confugis , magnam in tribulatione confortationem senties : nec multùm curabis hominum despectiones , facilliterque verba detrahentia proferes.

5. Christus fuit etiam in mundo ab hominibus despectus : & in maxima necessitate , à notis & amicis, inter opprobria derelictus.

Christus pati voluit & despici , & tu audes de aliquo conqueri ?

Christus habuit adversarios & oblocutores ; & tu vis omnes habere amicos & benefactores ?

Unde coronabitur patientia tua, si nihil adversitatis occurrerit ?

Si

Si nihil contrarium vis pati, quomodo eris amicus Christi?

Sustine te cum Christo & pro Christo: si vis regnare cum Christo.

6. Si semel perfectè introisses in interiora Jesu, & modicum de ardenti amore ejus sapuisses: tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares, sed magis de opprobrio illato gauderes: quia amor Jesu facit hominem se ipsum contemnere.

Amator Jesu & veritatis, & verus internus, & liber ab affectionibus inordinatis, potest se ad Deum liberè convertere & elevare supra se ipsum in spiritu, ac fruitivè quiescere.

7. Cui sapiunt omnia, prout sunt, non ut dicuntur, aut æstimantur: hic verè sapiens est, & doctus magis à Deo, quàm ab hominibus.

Qui ab intra scit ambulare, & modicum ab extra res ponderare, non requirit loca, nec expectat tempora, ad habenda devota exercitia.

Homo internus citò se recolligit, quia nunquam se totum ad exteriora effundit.

Non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria: sed sicut res eveniunt, sic se illis accommodat.

Qui intus bene dispositus est & ordinatus, non curat mirabiles & perversos hominum gestus.

Tantum homo impeditur & distrahitur, quantum sibi res attrahit.

8. Si rectè tibi esset, & bene purgatus esses, omnia tibi in bonum cederent & profectum.

Ideo multa tibi displicent, & sæpe conturbant: quia adhuc non es perfectè tibi ipsi mortuus, nec segregatus ab omnibus terrenis.

Nil sic maculat & implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis.

Si renuis consolari exterius, poteris speculari cælestia, & frequenter jubulare interius.

CA-

C A P U T II.

De humili submissione.

1. **N**on magni pendas, quis pro te vel contra te sit: sed hoc age & cura, ut Deus tecum sit in omni re, quam facis.

Habeas conscientiam bonam, & Deus bene te defensabit.

Quem enim Deus adjuvare voluerit, nullius perversitas nocere poterit.

Si tu scis tacere & pati, videbis procul dubiò auxilium Domini.

Ipse novit tempus & modum liberandi te, & ideo te debes illi resignare.

Dei est adjuvare, & ab omni confusione liberare.

Sæpe valde prodest ad majorem humilitatem servandam, quòd defectus nostros alii sciunt & redarguunt.

2. Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc faciliter alios

placat, & leviter satisfacit sibi irascentibus.

Humilem Deus protegit, & liberat: humilem diligit, & consolatur: humili homini se inclinat: humili largitur gratiam magnam, & post ejus depressionem levat ad gloriam.

Humili sua secreta revelat: & ad se dulciter trahit & invitat.

Humilis, acceptâ confusione, satis bene est in pace: quia stat in Deo, & non in mundo.

Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

C A P U T III.

De bono pacifico homine.

i. **T**ene te primò in pace, & tunc poteris alios pacificare.

Homo pacificus magis prodest, quàm bene doctus.

Homo passionatus etiam bonum in malum trahit, & faciliter malum credit.

BONUS

Bonus pacificus homo omnia ad bonum convertit.

Qui bene in pace est, de nullo suspicatur. Qui autem malè contentus est & commotus, variis suspitionibus agitatur : nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit.

Dicit sæpe, quod dicere non deberet : & omittit, quod sibi magis facere expediret.

Considerat, quod alii facere tenentur : & negligit, quod ipse teneatur.

Habe ergo primò zelum super te ipsum, & tunc justè zelare poteris etiam proximum tuum.

2. Tu beneficis facta tua excusare & colorare, & aliorum excusationes non vis recipere.

Justius esset, ut te accusares, & fratrem tuum excusares.

Si portari vis, porta & alium.

Vide, quàm longè es adhuc à vera charitate & humilitate : quæ nulli novit irasci, vel indignari, nisi tantum sibi.

Non

Non est magnum cum bonis & mansuetis conversari ; hoc enim omnibus naturaliter placet, & unusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit.

Sed cum duris & perversis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus pacificè posse vivere, magna gratia est, & laudabile nimis virileque factum.

3. Sunt, qui se ipsos in pace tenent, & cum aliis etiam pacem habent.

Et sunt, qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt : aliis sunt graves, sed sibi semper graviores.

Et sunt, qui se ipsos in pace retinent, & ad pacem alios reducere student.

Et tamen tota pax nostra in hac misera vita, potiùs in humili sufferentia ponenda, quàm in non sentiendo contraria.

Qui melius scit pati, majorem tenebit pacem. Iste est victor sui &
Domi-

Dominus mundi, amicus Christi & hæres cæli.

C A P U T I V.

De pura mente, & simplici intentione.

1. **D**Uabus alis homo sublevatur à terrenis, simplicitate scilicet & puritate.

Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit eum, & gustat.

Nulla bona actio te impediet, si liber intus ab inordinato affectu fueris.

Si nihil aliud quàm Dei beneplacitum, & proximi utilitatem intendis & quæris, interna libertate perfrueris.

Si rectum esset cor tuum, tunc omnis creatura speculum vitæ, & liber sanctæ doctrinæ esset.

Non est creatura tam parva, & vilis, quæ Dei bonitatem non repræsentet.

2. Si

2. Si tu esses intus bonus & purus, tunc omnia sine impedimento videres, & bene caperes.

Cor purum penetrat cælum & infernum.

Qualis unusquisque intus est, taliter iudicat exterius.

Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo.

Et si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius novit mala conscientia.

Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem, & totum candens efficitur: sic homo integrè ad Deum se convertens, à torpore exiit; & in novum hominem transformatur.

3. Quando homo incipit tepescere, tunc parvum metuit laborem, & libenter externam accipit consolationem.

Sed quando perfectè incipit se vincere, & viriliter in via Dei ambulare: tunc minùs ea reputat, quæ sibi priùs gravia esse sentiebat.

CA.

CAPUT V.

De propria consideratione.

1. **N**ON possumus nobis ipsis nimis credere, quia sæpe gratia nobis deest, & sensus.

Modicum lumen est in nobis, & hoc citò per negligentiam amittimus.

Sæpe etiam non advertimus, quòd tam cæci intus sumus.

Sæpe malè agimus, & pejùs excusamus.

Passione interdum movemur, & zelum putamus.

Parva in aliis reprehendimus, & nostra majora pertransimus.

Satis citò sentimus & ponderamus, quid ab aliis sustinemus: sed quantum alii de nobis sustinent, non advertimus.

Qui bene & rectè sua ponderaret, non esset, quòd de alio graviter judicaret.

2. Internus homo sui ipsius curam

ram omnibus curis antepone: & qui sibi ipsi diligenter intendit, facilliter de aliis tacet.

Nunquam eris internus & devotus, nisi de alienis silueris, & ad te ipsum specialiter respexeris.

Si tibi & Deo totaliter intendis, modicum te movebit, quod foris percipis.

Ubi es, quando tibi ipsi præsens non es? Et quando omnia percurristi, quid (te neglecto) profecisti?

Si cupis habere pacem, & unionem veram: oportet quòd cætera cuncta postponas, & te solum præ oculis habeas.

3. Multum proinde proficies, si te feriatum ab omni temporali cura conserves.

Valde deficies, si aliquid temporale reputaveris.

Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi fit, nisi purè Deus, aut de Deo fit.

Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de aliqua reatura.

Amans

Amans Deum anima sub Deo despicit universa.

Solus Deus æternus & immensus, implens omnia, solatium animæ, & vera cordis lætitia.

C A P U T VI.

De lætitia bonæ conscientia.

GLoria boni hominis, testimonium bonæ conscientia.

Habe bonam conscientiam, & habebis semper lætitiam.

Bona conscientia valde multa potest portare, & valde læta est inter adversa.

Mala conscientia semper timida est & inquieta.

Suaviter requiesces, si cor tuum te non reprehenderit.

Noli lætari, nisi cum bene feceris.

Mali nunquam habent veram lætitiam, nec internam sentiunt pacem: quia non est pax impiis, dicit Dominus.

Et si dixerint: In pace sumus, non
venient

venient super nos mala: & quis nobis nocere audebit? ne credas eis, quoniam repente exurget ira Dei, & in nihilum redigentur actus eorum, & cogitationes eorum peribunt.

2. Gloriari in tribulatione, non est grave amanti: sic enim gloriari, est gloriari in cruce Domini.

Brevis gloria, quæ ab hominibus datur & accipitur.

Mundi gloriam semper comitatur tristitia.

Bonorum gloria in conscientiis eorum, & non in ore hominum.

Iustorum lætitia de Deo & in Deo est: & gaudium eorum, de veritate.

Qui veram & æternam gloriam desiderat, temporalem non curat.

Et qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare convincitur cælestem.

Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia.

3. Facile erit contentus & pacatus, cujus conscientia munda est.

Non es sanctior, si laudaris; nec vilior, si vituperaris.

Quod es, hoc es: nec major dici vales, quam Deo teste sis.

Si attendis, quid apud te sis intus, non curabis, quid de te loquantur homines.

Homo videt in facie, Deus autem in corde. Homo considerat actus, Deus verò pensat intentiones.

Bene semper agere, & modicum de se tenere, humilis animæ indicium est.

Nolle consolari ab aliqua creatura, magnæ puritatis & internæ fiduciæ signum est.

4. Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quærit, liquet quòd totaliter se Deo commisit.

Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est (ait B. Paulus) sed quem Deus commendat.

Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, status est interni hominis.

CA-

CAPUT VII.

De amore Jesu super omnia.

i. **B**Eatus, qui intelligit, quid sit
amare JESUM; & contem-
nere se ipsum propter JESUM.

Oportet dilectum pro dilecto re-
linquere, quia JESUS vult solus super
omnia amari.

Dilectio creaturæ, fallax & insta-
bilis.

Dilectio JESU, fidelis & perseve-
rabilis.

Qui adhæret creaturæ, cadet cum
labili.

Qui amplectitur Jesum, firmabi-
tur in ævum.

Illum dilige, & amicum tibi reti-
ne, qui omnibus recedentibus, te
non relinquet, nec patietur in fine
perire.

Ab omnibus oportet te aliquando
separari, siue velis, siue nolis.

2. Teneas te apud Jesum, vivens,
ac moriens: & illius fidelitati te com-
mitte,

mitte, qui omnibus deficientibus, solus te potest juvare.

Dilectus tuus talis est naturæ, ut alienum non velit admittere: sed solus vult cor tuum habere, & tanquam rex in proprio throno sedere.

Si scires te bene ab omni creatura evacuare, Jesus deberet libenter tecum habitare.

Penè totum perditum invenies, quidquid extra Jesum in hominibus posueris.

Non confidas, nec innitaris super calamum ventosum: quia omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, ut flos fœni cadet.

3. Citò decipieris, si ad externam hominum apparentiam tantùm aspexeris.

Si enim tuum in aliis quæris solatium & lucrum, senties sæpius detrimentum.

Si quæris in omnibus Jesum, invenies utique Jesum.

Si autem quæris te ipsum, inve-

F

nies

nies etiam te ipsum, sed ad tuam
perniciem.

Plus enim homo nocivior sibi, si
Jesum non quærit, quàm totus
mundus, & omnes sui adversarii.

C A P U T V I I I .

De familiari amicitia Jesu.

I. **Q**uando Jesus adest, totum
bonum est, nec quidquam
difficile videtur: quando verò Jesus
non adest, totum durum est.

Quando Jesus intus non loquitur,
consolatio vilis est: si autem Jesus
unum tantum verbum loquitur,
magna consolatio sentitur.

Nonne Maria Magdalena statim
surrexit de loco, in quo flevit, quan-
do Martha illi dixit: Magister adest,
& vocat te?

Felix hora, quando Jesus vocat
de lacrymis ad gaudium spiritus!

Quàm aridus & durus es sine Jesu!
Quàm insipiens & vanus, si cupis
aliquid extra Jesum! Nonne hoc est
majus

majus damnam, quàm si totum per-
deres mundum?

2. Quid potest tibi mundus con-
ferre, sine Jesu?

Esse sine Jesu, gravis est infernus:
& esse cum Jesu, dulcis paradi-
sus.

Si fuerit tecum Jesus, nullus po-
terit nocere inimicus.

Qui invenit Jesum, invenit the-
saurum bonum, imò bonum super
omne bonum.

Et qui perdit Jesum, perdit nimis
multum, & plus quàm totum mun-
dum.

Pauperrimus est, qui vivit sine
Jesu: & ditissimus, qui bene est
cum Jesu.

3. Magna ars est, scire cum Jesu
conversari; & scire Jesum tenere,
magna prudentia.

Esto humilis & pacificus, & erit
tecum Jesus.

Si devotus & quietus, & manebit
tecum Jesus.

Potes citò fugare Jesum, & gra-

tiam ejus perdere , si volueris ad exteriora declinare.

Et si illum effugaveris & perdideris , ad quem fugies , & quem tunc quæres amicum ?

Sine amico non potes bene vivere : & si Jesus non fuerit tibi præ omnibus amicus , eris nimis tristis & desolatus.

Fatuè igitur agis , si in aliquo altero confidis , aut lætaris.

Eligendum est magis totum mundum habere contrarium , quàm Jesum offensum.

Ex omnibus ergo charis , fit Jesus solus dilectus specialis.

4. Diligantur omnes propter Jesum , Jesus autem propter se ipsum.

Solus Jesus Christus singulariter est amandus , qui solus bonus & fidelis præ omnibus invenitur amicis.

Propter ipsum , & in ipso tam amici , quàm tibi sint chari : & pro omnibus his exorandus est , ut omnes ipsum cognoscant & diligant.

Nun-

Nunquam cupias singulariter laudari vel amari, quia hoc solius Dei est, qui similem sibi non habet.

Nec velis, quod aliquis tecum in corde suo occupetur, neque tu cum alicujus occuperis amore: sed sit Jesus in te, & in omni bono homine.

5. Esto purus & liber ab intus, sine alicujus creaturæ implicamento.

Oportet te esse nudum, & purum cor ad Deum gerere; si vis vacare & videre, quàm suavis est Dominus.

Et reverà ad hoc non pervenies, nisi gratiâ ejus fueris præventus & intractus: ut omnibus evacuatis & licentiatis, solus cum solo uniaris.

Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia: & quando recedit, tunc pauper & infirmus erit, & quasi tantum ad flagella relictus.

In his non debet dejici, nec desperare; sed ad voluntatem Dei æquanimitè stare, & cuncta supervenientia

nientia sibi ad laudem Jesu Christi perpeti : quia post hiemem sequitur æstas ; post noctem redit dies ; & post tempestatem magna serenitas.

C A P U T IX.

De carentia omnis solatii.

I. **N**on est grave humanum contemnere solatium, cùm adest divinum.

Magnum est, & valde magnum, tam humano quàm divino posse carere solatio : & pro honore Dei, libenter exilium cordis velle sustinere : & in nullo se ipsum quærere, nec ad proprium meritum respicere.

Quid magni est, si hilaris sis & devotus adveniente gratiâ ? optabilis cunctis hæc hora.

Satis suaviter equitat, quem gratia Dei portat.

Et quid mirum, si onus non sentit, qui portatur ab omnipotente, & ducitur à summo ductore ?

2. Li-



eo
cap

2. Libenter habemus aliquid pro solatio, & difficulter homo exiit à se ipso.

Vicit sanctus martyr Laurentius sæculum, cum suo Sacerdote; quia omne, quod in mundo delectabile videbatur, despexit: & summum Dei Sacerdotem Sixtum, quem maximè diligebat pro amore Christi, etiam à se tolli clementer ferebat.

Amore igitur creatoris, amorem hominis superavit: & pro humano solatio, divinum beneplacitum magis elegit.

Ita & tu aliquem necessarium & dilectum amicum, pro amore Dei disce relinquere.

Nec graviter feras, cum ab amico derelictus fueris: sciens quoniam oportet nos omnes tandem ab invicem separari.

3. Multum & diu oportet hominem in se ipso certare, antequam discat seipsum plenè superare, & totum affectum suum in Deum trahere.

Quando homo stat super se ipsum, facile labitur ad consolationes humanas.

Sed verus amator Christi, & studiosus sectator virtutum, non cadit super consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines: sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duros sustinere labores.

4. Cùm igitur spiritualis à Deo consolatio datur, cum gratiarum actione suscipe eam: sed Dei munus intellige esse, non tuum meritum.

Noli extolli, noli nimium gaudere, nec inaniter præsumere: sed esto magis humilior ex dono, cautior quoque & timorator in cunctis actibus tuis: quoniam transibit hora illa, & sequetur tentatio.

Cùm ablata fuerit consolatio, non statim desperes: sed cum humilitate & patientia expecta cælestem visitationem: quoniam potens est Deus ampliorem tibi redonare consolationem.

Istud non est novum nec alienum
viam

viam Dei expertis : quia in magnis Sanctis, & in antiquis Prophetis fuit sæpe talis alternationis modus.

5. Unde quidam, præfente jam gratiâ, dicebat : Ego dixi in abundantia mea ; Non movebor in æternum.

Absente verò gratiâ, quid in se fuerit expertus, adjungit dicens : Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.

Inter hæc tamen nequaquam desperat, sed instantius Dominum rogat & dicit : Ad te, Domine, clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

Denique orationis suæ fructum reportat, & se exauditum testatur dicens : Audivit Dominus, & miseratus est mei : Dominus factus est adjutor meus.

Sed in quo ? Convertisti, inquit, planctum meum in gaudium mihi, & circumdedisti me lætitiâ.

Si sic actum est cum magnis Sanctis, non est desperandum nobis infirmis, & pauperibus, si interdum
in

in fervore, & interdum in frigiditate sumus; quoniam spiritus venit & recedit, secundum suæ beneplacitum voluntatis. Unde beatus Job ait: *Visitas eum diluculo, & subito probas illum.*

6. Super quid igitur sperare possum, aut in quo confidere debeo, nisi in sola magna misericordia Dei, & in sola spe gratiæ cælestis?

Sive enim adsint homines boni, sive devoti fratres, vel amici fideles; sive libri sancti, vel tractatus pulchri; sive dulcis cantus & hymni; omnia hæc modicum juvant, modicum sapiunt, quando desertus sum à gratia, & in propria paupertate relictus.

Tunc non est melius remedium quàm patientia, & abnegatio mei in voluntate Dei.

7. Nunquam inveni aliquem tam religiosum & devotum, qui non habuerit interdum gratiæ subtractionem, aut non senserit fervoris diminutionem.

Nullus

Nullus sanctus fuit tam altè raptus
& illuminatus, qui priùs vel postea
non fuerit tentatus.

Non enim dignus est altâ Dei con-
templatione, qui pro Deo non est
exercitatus aliquâ tribulatione.

Solet enim sequentis consola-
tionis tentatio præcedens esse si-
gnum.

Nam tentationibus probatis, cæ-
lestis promittitur consolatio. Qui
vicerit, inquit, dabo ei edere de li-
gno vitæ.

3. Datur autem consolatio divi-
na, ut homo fortior sit ad sustinen-
dum aduersa.

Sequitur etiam tentatio, ne se ele-
vet de bono.

Non dormit diabolus, nec caro
adhuc mortua est: ideo non cesses te
præparare ad certamen: quia à dex-
tris & à sinistris hostes sunt, qui
nunquam quiescunt.

* * *
* *

CA-

CAPUT X.

De gratitudine pro gratia Dei.

1. **C**ur quæris quietem, cum natus sis ad laborem?

Pone te ad patientiam magis quàm ad consolationes : & ad crucem portandam magis quàm ad lætitiã.

Quis enim sæcularium non libenter consolationem & lætitiã spiritualem acciperet, si semper obtinere posset?

Excedunt enim spirituales consolationes, omnes mundi delicias, & carnis voluptates.

Nam omnes deliciæ mundanæ aut vanæ sunt, aut turpes; spirituales verò deliciæ solæ jucundæ & honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris mentibus infusæ.

Sed istis divinis consolationibus nemo semper pro suo affectu frui valet; quia tempus tentationis non diu cessat.

2. Mul-

2. Multum autem contrariatur supernæ visitationi falsa libertas animi, & magna confidentia sui.

Deus bene facit consolationis gratiam dando : sed homo malè agit, non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo.

Et ideo non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus auctori; nec totum refundimus fontali origini.

Semper enim debetur gratia dignè gratias referenti : & auferetur ab elato, quod dari solet humili.

3. Nolo consolationem, quæ mihi aufert compunctionem : nec affecto contemplationem, quæ ducit in elationem.

Non enim omne altum, sanctum : nec omne dulce, bonum : nec omne desiderium, purum : nec omne charum, Deo gratum.

Libenter accepto gratiam, unde semper humilior & timorator inveniar, atque ad relinquendum me paratior fiam.

G

Doctus

Doctus dono gratiæ, & eruditus subtractionis verbere, non tibi audebit quidquam boni attribuere: sed potius se pauperem & nudum confitebitur.

Da Deo, quod Dei est; & tibi adscribe quod tuum est; hoc est, Deo gratias pro gratia tribue; tibi autem soli culpam, & dignam pœnam pro culpa deberi sentias.

4. Pone te semper ad infimum, & dabitur tibi summum: nam summum non stat sine infimo.

Summi sancti apud Deum minimi sunt apud se: & quantò gloriores, tantò in se humiliores.

Pleni veritate & gloria cœlesti, non sunt inanis gloriæ cupidi.

In Deo fundati & confirmati, nullo modo possunt esse elati.

Et qui totum Deo ascribunt, quidquid boni acceperunt: gloriam ab invicem non quærunt: sed gloriam, quæ à solo Deo est, volunt; & Deum in se, & in omnibus Sanctis laudari super omnia cupiunt,

piunt, & semper in idipsum tendunt.

5. Esto igitur gratus pro minimo, & eris dignus majora accipere.

Sit tibi minimum, etiam pro maximo: & magis contemptibile, pro speciali dono.

Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum, aut nimis vile videbitur. Non enim parvum est, quod à summo Deo donatur.

Etiam si pœnas & verbera dederit, gratum esse debet: quia semper pro salute nostra facit, quidquid nobis advenire permittit.

Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro sublata. Oret ut redeat: cautus sit & humilis, ne amittat.

C A P U T X I.

De paucitate amatorum Crucis Jesu.

HAbet JESUS nunc multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ crucis.

Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis.

Plures invenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ.

Omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo aliquid sustinere.

Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis: sed pauci usque ad bibendum calicem passionis.

Multi miracula ejus venerantur, pauci ignominiam crucis sequuntur.

Multi JESUM diligunt, quandiu adversa non contingunt.

Multi illum laudant & benediciunt, quandiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt.

Si autem Jesus se absconderit, & modicum eos reliquerit; aut in querimoniam vel in dejectionem nimiam cadunt.

2. Qui autem Jesum propter Jesum, & non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione & angustia

gustia cordis, sicut in summa consolatione, benedicunt.

Et si nunquam eis consolationem dare vellet, ipsum tamen semper laudarent, & semper gratias agere vellent.

3. O quantum potest amor Jesu purus, nullo proprio commodo vel amore permixtus!

Nonne omnes mercenarii sunt dicendi, qui consolationes semper quærunt?

Nonne amatores sui magis quam Christi probantur, qui sua commoda & lucra semper meditantur?

Ubi invenietur talis, qui velit Deo servire gratis!

4. Rarò invenitur tam spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus.

Nam verum pauperem spiritu, & ab omni creatura nudum, quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.

Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est.

Et si fecerit poenitentiam magnam, adhuc exiguum est.

Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longè est.

Et si habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem, adhuc multum sibi deest : scilicet unum quod sibi summè necessarium est.

Quid illud ? Ut omnibus relictis se relinquat ; & à se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat.

Cùmque omnia fecerit, quæ facienda noverit, nil se fecisse sentiat.

5. Non grande ponderet, quod grande æstimari possit : sed in veritate servum inutilem se pronuntiet, sicut Veritas ait : Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus.

Tunc verè pauper & nudus spiritu esse poterit, & cum Propheta dicere : Quia unicus & pauper sum ego.

Nemo tamen isto ditior, nemo poterit

potentior, nemo liberior qui se & omnia relinquere scit, & ad infimum se ponere.

CAPUT XII.

De regia via sanctæ Crucis.

I. **D**Urus multis videtur hic sermo: Abnega te ipsum, tolle crucem tuam, & sequere Jesum.

Sed multò durius erit audire illud extremum verbum: Discedite à me maledicti in ignem æternum.

Qui enim modò libenter audiunt, & sequuntur verbum crucis; tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis.

Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.

Tunc omnes servi crucis, qui se Crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Christum iudicem cum magna fiducia.

2. Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad regnum?

In cruce salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus.

In cruce infusio supernæ suavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus.

In cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis.

Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in cruce.

Tolle ergo crucem tuam, & sequere Jesum, & ibis in vitam æternam.

Præcessit ille bajulans sibi crucem, & mortuus est pro te in cruce; ut & tu tuam portes crucem, & mori affectes in cruce.

Quia si commortuus fueris, etiam cum illo pariter vives. Et si socius fueris poenæ, eris & gloriæ.

3. Ecce in cruce totum constat, & in moriendo totum jacet: & non est alia via ad vitam & ad veram internam pacem, nisi via sanctæ Crucis, & quotidianæ mortificationis.

Ambula

Ambula ubi vis, quære quodcumque volueris : & non inuenies altiorẽ viam supra , nec securiorem viam infra , nisi viam sanctæ Crucis.

Dispone & ordina omnia secundum tuum velle & videre : & non inuenies , nisi semper aliquid pati debere , aut sponte , aut invitè ; & ita crucem semper inuenies.

Aut etiam in corpore dolorem senties , aut in anima spiritus tribulationem sustinebis.

4. Interdum à Deo relinquêris, interdum à proximo exercitaberis : & quod amplius est, sæpe tibi metipsum gravis eris.

Nec tamen aliquo remedio vel solatio liberari , sed alleviari poteris : sed donec Deus voluerit, oportet, ut sustineas.

Vult enim Deus, ut tribulationem sine consolatione pati discas, & ut illi totaliter te subicias , & humilior ex tribulatione fias.

Nemo ita cordialiter sentit passio-

118 *De Imitatione Christi*
nem Christi, sicut is, cui contigerit
similia pati.

Cruce ergo semper parata est, &
ubique te expectat.

Non potes effugere ubicunque
cucurreris: quia ubicunque veneris,
te ipsum tecum portas, & semper
te ipsum invenies.

Converte te supra, converte te in-
fra: converte te extra, converte te
intra: & in his omnibus invenies
cruce.

Et necesse est te, ubique tenere pa-
tientiam, si internam vis habere pa-
cem, & perpetuam promereri co-
ronam.

5. Si libenter cruce portas, por-
tabit te, & ducet ad desideratum fi-
nem, ubi scilicet finis patiendi erit,
quamvis hic non erit.

Si invitè portas, onus tibi facis, &
te ipsum magis gravas: & tamen
oportet ut sustineas.

Si abjicis unam cruce, aliam
proculdubio invenies, & forsitan
graviorem.

6. Cre-

6. Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo sine cruce & tribulatione fuit?

Nec enim Jesus Christus, Dominus noster, unâ horâ sine dolore passionis fuit, quandiu vixit. Oportebat (ait) Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam.

Et quomodo tu aliam viam quæris quàm hanc regiam viam, quæ est via sanctæ crucis?

7. Tota vita Christi crux fuit & martyrium: & tu quæris requiem & gaudium?

Erras, erras, si aliud quæris, quàm pati tribulationes: quia ista vita mortalis plena est miseriis & circumsignata crucibus.

Et quantò altius quis in spiritu profecerit, tantò graviores sæpe cruces inveniet; quia exilia sui pœna magis ex amore crescit.

8. Sed tamen iste sic multipliciter afflictus non est sine levamine

consolationis : quia fructum maximum sibi sentit accrescere ex sufferentia suæ crucis.

Nam dum sponte se illi subjicit, omne onus tribulationis in fiduciam divinæ consolationis convertitur.

Et quantò caro magis per afflictionem atteritur , tantò spiritus amplius per internam gratiam roboratur.

Et nonnunquam in tantum confortatur ex affectu tribulationis & adversitatis , ob amorem conformitatis Crucis Christi , ut se sine dolore & tribulatione esse non vellet : quoniam tantò se acceptiorem Deo credit , quantò plura & graviora pro eo perferre potuerit.

Non est istud hominis virtus , sed gratia Christi , quæ tanta potest & agit in carne fragili, ut quod naturaliter semper abhorret & fugit , hoc fervore spiritûs aggrediatur & diligat.

9. Non est secundùm hominem
crucem

crucem portare, crucem amare, corpus castigare, & servituti subicere: honores fugere, contumelias libenter sustinere, se ipsum despiciere & despici optare: adversa quæque cum damnis perpeti, & nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare.

Si ad te ipsum respicis, nihil huiusmodi ex te poteris.

Sed si in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cælo, & subicientur ditioni tuæ mundus & caro.

Sed nec inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus, & cruce Christi signatus.

10. Pone te ergo, sicut bonus & fidelis servus Christi, ad portandam viriliter crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi.

Præpara te ad toleranda multa adversa & varia incommoda in hac misera vita: quia sic tecum erit, ubicunque fueris, & sic reverà invenies, ubicunque latueris.

Oportet ita esse; & non est remedium

dium evadendi à tribulatione malorum & dolore, quàm ut te patiaris.

Calicem Domini affectanter bibe, si amicus ejus esse, & partem cum eo habere desideras.

Consolationes Deo committe: faciat ipse cum talibus, sicut sibi magis placuerit.

Tu verò pone te ad sustinendum tribulationes, & reputa eas maximas consolationes: quia non sunt condignæ passionis hujus temporis, ad futuram gloriam promerendam; etiam si solus omnes posses sustinere.

11. Quando ad hoc veneris, quod tribulatio tibi dulcis est, & sapit pro Christo: tunc bene tecum esse æstima, quia invenisti paradisum in terra.

Quandiu pati grave tibi est, & fugere quæris; tandiu malè habebis, & sequetur te ubique fuga tribulationis.

12. Si ponis te, ad quod esse debes, videlicet ad patiendum & moriendum, fiet citò melius, & pacem invenies.

Etiam

Etiana si raptus fueris usque ad tertium cælum cum Paulo , non es propterea securatus de nullo contrario patiendo. Ego (inquit Jesus) ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Pati ergo tibi remanet , si Jesum diligere , & perpetuò illi servire placeat.

13. Utinam dignus esses aliquid pro nomine Jesu pati : quàm magna gloria remaneret tibi , quanta exultatio omnibus sanctis Dei , quanta quoque ædificatio esset proximi !

Patientiam quidem omnes commendant : sed heu ! quàm pauci sunt, qui pati desiderant !

Meritò deberes libenter modicum pati pro Christo, cum multi graviora patiuntur pro mundo.

14. Scias pro certo , quia morientem te oportet ducere vitam. Et quantò quisque plus sibi moritur, tantò magis Deo vivere incipit.

Nemo aptus est ad comprehendendum cælestia , nisi se submiserit ad

ad

ad portandum pro Christo ad-
versa.

Nihil Deo acceptius, nihil tibi sa-
lubrius in mundo isto, quàm liben-
ter pati pro Christo.

Et si eligendum tibi esset, magis
optare deberes pro Christo ad-versa
pati, quàm multis consolationibus
recreari: quia Christo similior es-
ses, & omnibus Sanctis confor-
mior.

Non enim stat meritum nostrum,
& profectus statûs nostri, in mul-
tis suavitatibus & consolationibus:
sed potiùs in magnis gravitatibus &
tribulationibus perferendis.

15. Si quidem aliquid melius &
utilius saluti hominum, quàm pati,
fuisset; Christus utique verbo & ex-
emplo ostendisset.

Nam & sequentes se discipulos,
omnesque eum sequi cupientes, ma-
nifestè ad crucem portandam hor-
tatur, dicens: si quis vult venire post
me, abneget semetipsum, & tollat
crucem suam, & sequatur me.

Omni-